EPISTOLA PASTORALIS

AD CLERUM

ET POPULUM ALEXIENSEM

ET SCOPIENSEM.



ROMÆ,

TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

Superiorum Permissu.

1842.

F. JOANNES TOPICH
ORDINIS MINORUM DE OBSERVANTIA
DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
EPISCOPUS ALEXIENSIS
ET
ARCHIDIOECESIS SCOPIENSIS ADMINISTRATOR APOSTOLICUS.

VENERABILI CLERO SAECULARI ET REGULARI

POPULOQUE FIDELI UTRIUSQUE DIOECESIS PACEM ET SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

Delectabili illo edocendi exercitio, jucundaque animi laetitia, qua tredecim ab hinc annis, Praeceptoris munere fungentes in D. Bartholomaei Collegio, cui ab Insula Tiberis nomen est, dulciter fruebamur, optimae spei Iuvenibus erudiendis sedulam navantes operam, qui a Deo vocati, et praeelecti ad gentes illas vel coecitate spirituali detentas, aut haeretica pravitate pollutas, omnigena doctrina, morumque candore referti, Evangelicae veritatis fulgore illuminandas identidem mittuntur; Nobis (proh dolor!) diutius frui datum non fuit. Cum enim laetabundi trium Missionariorum profectum absolvendo animum intenderemus, quorum duo ad conterendam Confucii superstitionem apud Sinenses impune grassantem, alterum ad excolendam vineam Domini Sabaoth jam in Palaestina florentem, nunciatum nobis fuit, S. C. Propagandae Fidei praepositam auctoritate GREGORII XVI. Pontificis Maximi Nos pro quarta vice ad Episco-

*

pale extulisse fastigium. Tali inexpectato nuncio, quanta fuerit animi nostri angustia, qualisque cordis dolor, concinnis verbis exprimere haud nostra valet oratio. Quis enim dixisset, Nos post primam, iterum, ac tertio fortiter recusatam, repudiatamque talem dignitatem, Angelicis humeris formidandam, post sinceram declarationem luculentissimis verbis expressam, nostrum scilicet animum a tali sublimitate esse omnino alienum, denuo pro quarta vice Supremo Ecclesiae Hierarchae, ac Jesu Christi in terris Vicario praesentari, et in vestrum eligi Pastorem?

O judicia Dei semper imperscrutabilia, et viae illius nobis prorsus absconditae! Interim omnis interclusa fuit via, omneque effugium inane, quominus Jugo collum supponere deberemus; oportuit quocirca annuere votis, mandatisque Pontificis Summi humiliter obtemperare. Porro coram Domino cor nostrum expandimus, et in conspectu ejus orationem effundimus, ut det nobis sedium suarum assistricem sapientiam, et sciamus quid acceptum sit apud Eum, et huic spei firmissime innixi, preces nostras a Divina Clementia exauditas fore confidimus.

Itaque in Nomine Domini, Fratres Dilectissimi, Filiique amantissimi, ad vos nunc gressus nostros dirigimus, novumque Evangelicum campum ab Alto Nobis commissum ingredi cupimus. Quapropter sicut Nos GREGORI XVI. SSmi Patris nostri oraculo, atque imperio obsecuti, ad tantum onus pro vobis subeundum, quamvis in timore, et tremore coacti fuimus, ita pro certo habemus. Nos veluti Patrem, ac Pastorem animarum vestrarum prompte agnituros, et filialis dilectionis testimonia Nobis reddituros esse haud ambigere valemus.

Quum igitur pastoralis regiminis scopus eo tendet, ut diu noctuque erga concreditam Dominici gregis familiam omnes vires impendantur, et major quae potest adhibeatur cura, quatenus animas sibi commissas meritis, et virtutibus refertas ad aeternae salutis portum vigil Pastor deducere queat; idcirco Vos in primis alloquimur quotquot estis Parochi spectatissimi, sa-

cerdotes zelantissimi tam saeculares, quam regulares, in excolenda hac vinea coadjutores nostri amantissimi, ob oculos mentis vestrae ponentes verba dulcissimi Redemptoris Nostri ita inquientis " Haec est vita aeterna, ut (homines) cognoscant te „ Deum verum, et quem misisti Jesum Christum (1); = quia „ juxta illud D. Petri = non est in aliquo alio salus nec aliud „ nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos „ salvos fieri (2) „. Ceterum veri, ac summi Dei cognitionem ab hominibus necessario comparandam, et fidem in Jesum Christum in aliorum cordibus radicandam, sine Verbi Dei praedicatione frequenti, Fratres Nobis credite, obtineri non potest. " Fi- „ des enim ex auditu, inquit Apostolus, auditus autem per ver- „ bum Christi „ (3). Unde hortamur vos fratres charissimi verbis Apostolorum Principis sic ajentis " Pascite qui in vobis est „ gregem Dei (4) providentes non coacte, sed spontanee secun- „ dum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie. Ex „ ore vestro legem requisituri sunt populi. „ Idipsum hortatur, ac praecepit Tridentinum hisce luculentissimis verbis " Archipre- „ sbyteri quoque, Plebani, et quicunque Parochiales, vel alias „ curam animarum habentes . . . diebus saltem dominicis, et „ festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua, et earum ca- „ pacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quae scire „ omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum „ brevitate, et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et „ virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam effugere „ valeant (5). „

Vae igitur vobis Fratres, si non evangelizaveritis! Pastoribus enim, qui adeo sublime, et sanctum Ministerium pe-

(1) Joan. cap. 17. v. 3.
(2) Actor. 4. v. 12.
(3) Ad Rom. 10. 17.
(4) I. Petri 5. v. 2.
(5) Sess. 5. de Ref. c. 2.

* *

ragere negligunt cum animarum pernicie sibi commissarum, nonnisi vae repetendum est. Clamate porro dilectissimi, ne cessetis; et quasi tuba extollite vocem vestram, annuntiando populis peccata, et scelera eorum. Vocate eos ad poenitentiam, et docete eos servare omnia mandata Dei. Loquimini de testimoniis Jesu Christi in conspectu Regum, nihil timentes; = non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis(1). = Omnis pigritia procul absit a vobis. Per Dominicos, et festos dies annunciate populis verbum salutis, praedicate assidue cum gravitate sermonis. Siquidem cum non de solo pane homo vivere queat, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei; frangite itaqne esurientibus panem hunc coelestem; ovibus nempe vobis concreditis, ne fame misere pereant, et Dominus cum propinquae mortis tempus advenerit earum sanguinem de manibus vestris sit requisiturus. O nimis felix, quinimo beatus ille Pastor, qui instante mortis tempore de sua retributione rationabiliter confidens cum Gentium Apostolo dicere poterit " Mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis, „ et docerem vos publice, et per domos testificans . . . in Deum „ poenitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christnm (2). „ Fidei insuper boni dispensatores estote, Fratres, et mysteriorum Dei, ac prudentes ita, ut non omnibus eamdem detis mensuram, sed cuique propriam, ac pro uniuscujusque aetate, statu, vel captu accomodatam. Alia enim cibi mensura et ratio homini jam senescenti convenit, alia infanti, vel adolescenti: alia foeminis, alia viris: alia nuptis, alia filiabus, famulanti alia. Sic etiam non omnibus idem Doctrinae cibus congruit, sed juxta varios status, aetates, et gradus ut patienter dispensetis oportet. Paulus enim hac de re magnopere Titum admonuit = ut secundum personas loqueretur quae decent sanam doctrinam.

(1) Matt. cap. 10. vers. 20.
(2) Actor. cap. 20. 26.

Nec praeterea sufficit, dilectissimi, ut concionemini, et omnes qui ad Ecclesiam se recipiunt catechizetis; sed vestri muneris est pauperes quoque evangelizare, rudesque patienter instruere. Ad hoc opus praecipue missionem accepistis; videte igitur quantum interest, ut ministerium vestrum impleatis. Sunt enim non pauci, qui vel nimio pudore affecti, prae inopia sua, et prae vestium decentium defectu ad Ecclesiam accedere non audent; vel prae sua in sylvis, aut remotioribus agris a Templo distantia, aut pro pecudum cura ad Divina Officia convenire non valent: sicque fit, ut plane rudos remaneant, et in ignorantiae tenebris misere versentur. Hinc necesse est, Fratres, per invia, et deserta loca transire, doctrinae veritatem, divinae gratiae lucem, pacisque benedictionem omnibus peramanter impertiendo. Ite igitur, Fratres charissimi, in vias, et sepes; debiles, coecos, et claudos diligenter inquirite, et cum omni patientia compellite intrare, ut domus Patris coelestis impleatur. Sicut messis praecipue pendet a semine, ita hominis sanctificatio ab indeficienti sacerdotum cura, et exhortatione. Quapropter seminate abundanter, ut metatis, et mirificum pietatis semen in corda puerorum praesertim immittite, frequentis exhortationis rore illud irrigate, et dabunt fructum in tempore suo. Mollia sunt sicut cera infantium corda, formam quam volueritis facile suscipient; imprimite ergo illis sanctitudinis characterem, et dignos pietatis, et Religionis fructus afferent. Estote sicuti parvuli in medio eorum, exemplum Divi Pauli sectantes, qui infirmis infirmus fiebat, et parvulis puer, ut omnes salvos faceret.

Ad gravissimum vero missionis vestrae complementum attinet etiam, ut semper, ubique, et in omnibus tales vos exhibeatis, quales summi Dei decet ministros, et animarum Pastores. Etenim Jesus ipse Redemptor, Pastorum omnium Princeps prius coepit facere, postea docere; nam ut probe observat Augustinus " parum fuisse Domino hortari verbo, nisi firmaret exemplo.„ Facite ergo prius dignos sanctitatis fructus, et tunc optima erit

praedicatio virtutis, et cum Gentium Apostolo reapse dicere poteritis = Immitatores mei estote, sicut et ego Cristi, ambulate sicut habetis formam nostram. = Quod si vos ipsi sacerdotali justitia, castitate, sobrietate, ac misericordiae operibus careatis, quomodo in aliis vitia resecabitis, et ad meliorem frugem ipsos redigere valebitis? Cavete itaque, ne vobis dicat S. Hieronymus sicut olim ad Nepotianum scribebat " Non confundant opera tua „ sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet „ respondeat: cur haec quae dicis ipse non facis? Delicatus ma„gister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat . . . Sacerdotis „ Christi os, mens, manusque concordent. „ Vos igitur adjuramus cum Paulo hisce verbis " Vosmetipsos praebete exemplum bonorum operum. „

Praeterea hortamur, et obsecramus, ut sanctum orationis spiritum pro viribus acquiratis, si enim Deus vobiscum minime aedificaverit, invanum laborabitis aedificantes. Si Ipse vestrum ovile non custodierit, frustra vigilabitis illud custodientes. Date ergo operam studio, et spiritualibus lectionibus; scrutamini Scripturam sanctam, ex eaque eruditionem, justitiam, et aequitatem abunde haurietis cum gaudio. Eam frequenter perlegite, et dulcia erunt eloquia vestra super mel; et pro opportunitate vox vestra confringet quoque Cedros vitiorum, et animas iniquorum commovebit. Demum pro certo habere debetis, Ven. Fratres, Vos nunquam Missionem concreditam perfecturos, proindeque a Patrefamilias mercedem promissam minime consecuturos, si animarum zelo destituti pastoris officio fungi ausi fueritis. Ex sincera animi devotione oritur zelus, sicut illa orando, et meditando acquiritur; et qui hisce dotibus expoliatus ad Apostolicum officium accedere praesumit, nubibus sine aqua peroptime erit comparandus. At vero quam districte de tot animarum salute erit hic a Supremo Judice requirendus, perpendat unusquisque vestrum quam praetiosae in cospectu Domini eae sint, qui pro illis proprio Filio suo non pepercit; et quanto dilectionis affe-

ctu ab ipsomet Christo ipsae diligantur, ex illis verbis addiscant ab ipso prolatis "Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.„ O dilectissimi patiemini forsan, ut pereant tot animae Fratrum vestrorum, pro quibus Dominus Jesus Christus sanguinem suum fudit, mortemque oppetiit? Videte qualiter Diabolus non dormit, sed circuit semper sicut Leo rugiens, ut rapiat, mactet, et devoret: vigilandum itaque vobis est, ne Grex, quem tradidit Dominus vestrae solertiae custodiendum, luporum infernalium morsibus laceretur. Quocirca absit a vobis, Fratres, omnis socordia et dormitatio, sicut abesse firmiter credimus: imo valde confidimus ad salvandas animas vos omnes accensos esse. Oh! quale gaudium erit vobis in die districtionis extremae, quando animarum turba vestro ardenti zelo, et vigilantia sanctificata incessabili voce clamabit, et usque ad sydera proprii Pastoris nomen, et solertiam extollet! Oh vos tunc vere beati! sedebitis super sedes micanti lumine fulgidi, judicantes duodecim tribus Israel. Eja igitur, Fratres charissimi, estote fortes in praelio, et pugnate cum antiquo serpente, ne disperdat Gregem, quem coelestis Paterfamilias vestrae tutelae concredidit.

Faxit Deus, ut haec omnia, quae pro Pastorali nostro officio vobis in mentem revocare non destitimus, in prima visitatione quamprimum facienda, adimpleta inveniamus, et perfecta; vobisque ex corde valeamus gratulari.

Ad Vos denique sermonem nostrum convertimus quotquot estis cujuscunque conditionis, dilectissimi utriusque Dioecesis Filii, nobis a Domino commendati, et obsecramus vos per viscera Misericordiae Dei Nostri, ut existimetis Pastores vestros " tam- „ quam ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei (1); „ eorumque exhortationibus, ac mandatis debitum obsequium exhibeatis "ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri (2).„ Ambulate in dilectione Dei, et Ecclesiae

(1) 1. Ad Cor. 4. 1.
(2) Ad Haebr. 13. 17.

praecepta servate. Diligite alterutrum, inter vos pacem habete, illam dico pacem, quam mundus dare non potest. Contentiones fugite, rixas declinate, a sanguine abhorrete, alter alterius onera portatę. Abstinete vos ab omni peccato, et veri sectatores doctrinae, et vitae Jesu Christi manifestamini, ut illi qui ex adverso sunt, quibus livor, avaritia, et libidinis ardor cordi est, vereantur (1) nihil habentes malum dicere de vobis. "Fornicatio autem; et omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Tandem quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, haec cogitate, haec agite (2)." Postremo impense Vobis commendo, Ven. Fratres Filiique in Domino dilecti, ut ad Thronum Gratiae, et Deum totius consolationis, nec non ad validissimum Beatae Mariae semper Virginis Patrocinium, et Seraphici Patriarchae Francisci Assisiensis Parentis Nostri, omniumque Sanctorum intercessionem fervidas preces dirigatis pro felici statu, atque incremento sanctae Catholicae Ecclesiae, pro supremo Pastore GREGORIO XVI. qui eam tam laudabiliter regit, atque gubernat, ut incolumen servet Eum pro communi fidelium bono: pro Nobis tandem Pastore Vestro, ut assistricem sapientiam a Coelo emittat Deus, quae in cunctis pro nostro munere recte obeundo indesinenter dirigat: ea Nobis indigitet media, quae ad assequendum finem aptiora sunt, et ad majorem Dei Gloriam, vestrarumque animarum salutem obtinendam apprime idonea, ut vobiscum ad aeternae salutis portum pervenire tandem valeamus.

De caetero charissimi gaudete, et perfecti estote, aemulando charismata meliora, cito enim ad Vos veniamus.

Gratia Domini Nostri Jesu Christi sit vobiscum. Charitas Nostra sit cum omnibus vobis in Christo Jesu. Amen.

Datum Romae quinto ab urbe lapide extra portam Flaminiam die 21. Februarii 1842.

(1) Ad Tit. c. 2.
(2) Ad Philipp. c. 4.